



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Exacta Observantia S. Constitutionum Urbanarum, à
Innocentio XII. Pontifice Maximo impensè præcepta Fr.Fr.
Minoribus S. Francisci Coventualibus Provinciæ
Coloniensis: ac munita clementissima ...**

Wissingh, Anton

Coloniæ Agrippinæ, 1700

Votum Finale ad Seraphicum Patrem ac Fundatorem S. Franciscum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49637](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49637)

VOTUM FINALE

ad

Seraphicum Patrem ac Fundatorem

S. FRANCISCUM.

Coram Te, Seraphice Pater, ac Fundator, Pauperumque Patriarcha & Francisce, supplex in genua provolutus gemo, oro ac obtestor, voce, vultu, ac mente, lacrymis, suspiriis, ac precibus : Respice de Calo Vineam istam, Religionem tuam ac nostram, quam planta vit Dextera tua. Cura sollicitè, ne demoliantur illam peculiaritatis illicita, aut proprietatis abominanda clam irrepentes vulpecula. Conserva in hac vinea tua Torcular tua Sacra Regula, quam tibi dicta vit tuus ac noster piissimus Redemptor IESVS CHRISTVS; ut sub illa viventes exprimamus vina meritorum in Sancta latitia, iisque repleamus conscientiarum nostrarum vasa. Sepi quoque tenebam vineam hanc firmo sepimento, scil. exacta observantia S. Constitut. Urbanarum; ne aperferus irruat, ne animarum hostis Diabolus ulli ex vivis palmitibus noceat, ne devoret, ne destruat, nec ullatenus dominatum exercent in illa. Irriga illam salutiferis tuis lacrymis: fecunda illam Sanctis tuis, tuorumque sequacium exemplis: & ut divinorum gratia radiorum frequentius illustretur fulgoribus, foveaturque ardoribus, Tu tuis obtine precibus, ac infatigabilibus gemitibus. Recordare vinea hujus, in qua laborasti, pro qua sudasti, cui tam ardua poenitentia exempla reliquisti.

Tu Gregi tuo provide, ne lupus ovem rapiat, &

PA-

Pastor nesciat. Defende Gregem, conserva Legem. Accede, & confuge cum Thaumaturgo tuo ac nostro S. Antonio Patavino, Doctore Seraphico S. Bonaventura, ac omnibus Sanctis tuis Filiis, ac Filiabus ad Thronum Divinae Majestatis, ad Sacra V. Domini Nostri IESU CHRISTI Vulnera, ad Sanctissima Virginis Matris Deipara securissimum patrocinium: Ora, obsecra, & in omnia Sancta nos recommenda; ut (sicut hac die, in octava scil. Epiphania, in qua hac scribo, eam S. Mater Ecclesia) NB. intus reformari mereamur. Si enim non intus; diu durare non poterit reformatio affectata forinsecus (ex Dionys. Cartus. l. de reform. claustral.)

Pater Sancte conserva hanc Familiam tuam tibi per sacra vota consecratam: compagina, & contine singula membra ejus in unitate, charitate, in exacta communitate, in perfecta Sanctitate, in vinculo pacis. In funiculo distributionis lega Filiis tuis amorem religiosa paupertatis: (nam sine illo crescere non poterimus in terra paupertatis nostra) ut ita in nobis intus reformatis glorificetur Deus & Pater D N. IESU CHRISTI, cum eodem dilectissimo Filio suo, ac Sanctissimo Spiritu Paraclito, ac tota caelesti Curia. Latetur quoque S Mater Ecclesia, dum viderit, quod quotidiani profectus, ac fervoris nostri non sit

FINIS.

